

ostendere conati sumus, Sacris Literis ad-
 versari prædicent, cum de Terris animalibusque, atque etiam ratione præditis, nos differere animadvertent; de quorum origine, aut quod omnino in rerum natura extant, nihil illic traditum sit, sed ea potius ex quibus contrarium sequatur. Tantum enim de Tellure hac, cum suis animantibus, herbisque, & homine omnium domino commemorari. Quibus respondeo, quod & ante me alii, satis apparere non de omnibus iis, quæ Deus creavit, particulatim nos edoceri eum voluisse. Itaque cum vel Siderum vel Terræ nomine, in prima Genesi, etiam Planetæ, qui præter Solem Lunamque sunt, comprehendantur; atque etiam Jovis & Saturni Comites; posse non tantum plures alios utriusque generis includi, sed & res innumeras quas in superficie eorum summo opifici collocare placuerit. Porro non nescire eos quo pacto interpretandum sit, quod dicitur omnia propter hominem condita esse; neque eo significari, ut à pluribus jam est animadversum, tot ingentia corpora stellarum, quas partim videmus, partim nec vidissemus quidem unquam, si Telescopiorum auxilium defuisset, nostræ utilitatis aut contemplationis gratia fuisse condita; quia id absurde diceretur. Quare cum operum Dei magna pars extra conspectum hominum sit posita, neque ad eos pertinere videatur, haud alienum esse opinari, aliquos

Conje-
cturas
hasceSa-
crisScri-
pturis
non ad-
versari.